Gorscii Jacobi: Quaestio de erroribus visionis.

Nauki przyrodn. N. 1144.

QVÆSTIO DE ERRORIBVS VISIONIS,


A

MAGISTRO

IACOBO GORSCIO,

in Academia Cracouień: publicè ad disputandum proposita. Anno M.D.C.XXI Die Martij

Permissu Magnifici Dñi Rectoris.





CRACOVIÆ,

Apud Hæredes Iacobi Sibeneycher,

Anno Domini. 1621.



Virtutem, ingenium, Lunæ; ſed crux pietatem
Deſignat, mirum: cælica, terra re ert.

ADMODVM REVERENDO AC Clarissimo Domino,

D. FRANCISCO ZAIERSKI

IVD: LVCEORIENSI BRESTENSI PRÆPOSITO, PVLTOVIENSI DECANO, SENDOMIRIEN: ARCHIDIACONO, Auditori & Iudici causarum Curiæ, *Illustrissimi ac Reuerendissimi Dñi,* D. MARTINI SZYSZKOWSKI, Episcopi Cracouiensis. &c. &c. &c. Domino & fautori colendissimo.

QVi castra Mineruæ sequuntur Admodum Reuerende Domine, nihil magis cupiunt quam vt id expleant quod Martis ac cruentæ Bellonæ sectatores consuetudine & vsu confirmati factitare solent. Tum vt industriam suam probare, ac fortitudinem aliquo eximio facto confirmare valeant: tum vt labores pro salute patriæ, Reipublicæ incolumitate, susceptos, ciuica, murali, vel aliqua alia corona adornati, pro rostris triumphisue deprædicare permittant. Idem inter cæteros studiorum omnium mater Academia Cracouiensis obseruat, dum iis quos sinu suo fouere vult, necessitatem duplicem imponit. Primam officii quæ cum omnibus literatis communis est, vt diligentiam ac sedulitatem, non in campum Martium vel cursum Olympicum sed in Palladis Musarumquè templum introducant ac Spartam quam nacti sunt pro virili exornent. Alteram legis qua cauetur ne locus

alicui

alicui concedatur, nisi prius specimen aliquod ingenii ceu pro rostris disputatione publicâ declaretur. Huic vtrique necessitati satisfacere conor; priori quidem dum partim hîc partim Posnaniæ in Collegio Lubransciano (vbi consentiente Senatu Academico missus eram) erudiendæ iuuentuti quantum vires ingenii patiebantur inuigilaui; posteriorem hac quæstione expedire cupio, quam de fallaciis visus propono. Res non minus iucunda quam necessaria, modos inter cæteros subtilißimi sensus, cognoscere, falsam à vera visione, & apparente secernere, causam ipsius scrutari. Nam si Pericles Athenienses propter Eclipsim solis in squalore positos (edisserens iis causam ab Anaxagorâ edoctus) metu & formidine liberauit; quis dubitabit idem alios efficere posse, qui causam apparentiarum cognouerint? cur quædam maiora, quædam minora, quædam nigra cum alterius sint coloris, quædam quiescentia moueri, mota quiescere, appareant. Harum & aliarum fallaciarum rationem inuestigare intendo ac quæstionem Admodum Reuerende Domine Tibi, omni virtutum ac scientiarum genere cumulatißimo, de literis ac literatis, ipsaq; Academia bene merito, sub patrocinium, & protectionem trado: nihilq; magis in votis habeo quam vt Admodum Reuerendæ Dominationi T (cuius prudentiam Vlißis maiorem non Apollinis oraculum illud fallax, sed vox omnium testatur) placere valeam. Recipe in sinum humanitatis ac beneuolentiæ quæstionem, meumq; conatum ad vlteriora promoue; nisi enim literatorum studium, virorum grauißimorum authoritate ceu filo sustentetur, inter priuatos delitescant parietes est necesse. Deum veneror vt Admodum R. D T. Ecclesiæ, Reipub. Academiæ, diu multumq; incolumem seruet,

Vestræ Adm: Reuer: Dñi: Tuæ

æternum deuotus.

M. IACOBVS GORSCIVS.

QVÆSTIO
De Erroribus viſionis.

V. Viſus tres ſpecies inter ſe diſtinctæ per differentiam radij Optici, Catoptici, & Meſoptici conſtituantur: eiusq; omnes fallaciæ ex aſymmetria oriantur necne?

CONCLVSIO. I.

Ex radiorum differentia, quorum beneficio obiecta percipiuntur, tres ſpecies viſus inter ſe diſtinctæ, Optica, Catoptica, & Meſoptica ſunt conſtituendæ.

COROLLARIA.

I. Radius viſiuus eſt ſpecies rei viſibilis per medium perſpicuum tranſiens: hinc illis non conſentiendum, qui radium à ſpecie diſtinguunt viſibili.

II. Tranſitus ſpecierum qui fit per Pyramidem, cuius conus eſt in oculo, baſis autem in re viſa, eſt naturalis; nec inſtantaneus eſſe poteſt.

III. Neceſſaria eſt connexio radij viſiui cum viſibili, ceu affectionis eſſentialis: hinc omne viſibile radiare vel propriè vel inpropriè, tenemus.

IV. Radius viſiuus vel per ſolum tranſit aerem eumq; vniformem, & dicitur rectus ſeu Opticus, vel refrangitur ad angulos æquales, vt in corporib⁹ quę nõ ferunt penetrationem ſcilicet ſpeculis, diciturq;

Catopticus aut reflexionis: vel demum fit ad radios inæquales, vt in aqua, vapore & similibus diciturq; Mesopticus aut refractus.

V. Tres species radiationis non ita distinctæ sunt, vt simul & semel in vno conseruari minimè posśint: vt patet in Iride, vbi tres radiationis species non negamus.

VI. Stellas sereno cœlo à nobis videri posse visione simplici, cõtra quosdã Neotericos hãc visionẽ mediã inter refractã & simplicẽ ponentes tenemus.

VII. In eodẽ medio diuersimodè disposito dari refractionẽ concedim⁹, quod si illud sit vniforme ac diaphanum, tum res visa meli⁹ oculo repræsentatur eoquè maior, quo per plura bene disposita videbitur media.

CONCLVSIO. II.

In omni visu simplici, reflexo & refracto, errores & fallaciæ contingunt.

COROLLARIA.

I. Aliquam imperfectionem maiorem, quam sit in aliis sensibus, ob hos errores in visu ponere non est conueniens, modus enim & dispositio visionis aliter suadet.

. Alhazenus lib. 3. Cap. 4. errores visus ad tria reuocat, Ad ipsumvisum, dum errat circa lucem & colorem. Ad scientiam ex ante visis. Ad Syllogismum cum ex particulari colligitur vniuersale,

non

non erit tamen abſurdum ſi dicamus eos vel in Subſtantia, vel in Accidente ſubiectari.

III. Ratione Subſtantiæ fiunt errores, ſi mala ſit diſpoſitio oculi, vel ſi facultas videndi, aut ſi diminuta, aut deprauata, aut abolita penitus.

IV. Quo ad Accidẽs error, vel fit in Quãtitate, vel in Qualitate, cum album alterius coloris videtur, vel motu, vel ſimilibus.

V. In viſione reflexa plures errores dari eſt neceſſe, cum non ita ſint fortes radij, ſpeciem viſibilis repræſentantes.

VI. Radius refractus formam lucis & coloris omnium debilius refert, ideoque viſus refractus non ſine errore eſſe poterit.

VII. Aliquando duo Soles, Cometæ, Irides, conſpiciuntur, non tamen reuera ſunt, quod erroribus compoſitæ radiationis adſcribendum.

CONCLVSIO III.

Fallacia & errores omnes oriuntur ex aſymmetria.

COROLLARIA.

I. Etſi minimè negemus errores in viſu ex defectu vel exceſſu octo circumſtantiarum viſionem perficientium, quæ in Communi perſpectiua à propoſitione 42. vſque ad 55. recenſentur, contingere: tamen cum Alhazeno & Vitellione intemperatam diſpoſitionem aſſerimus,

II. Quan-

II. Quaudocunq; diſpoſitio temperata vel Symmetria diſtantiæ, ſitus, lucis, magnitudinis, ſoliditatis, perſpicuitatis, medii, temporis, viſusquè ponitur, impoſsibile viſionem imperfectam fieri.

III. Eo vero plures & maiores contingunt errores, quo plures harum circumſtantiarũ, vel inexceſſu, vel defectu ponuntur.

IV. Quidqnid conſtituunt alij circa errores in baſi, cono vel radiis tam incidentibus quam reflexis & refractis hoc aſymmetriæ adſcribimus.

V. Iridis varii colores, ſtellarum improportionata magnitudo, aliæq; fallaciæ eiuſmodi (quicquid dicant alii) ad aſymmetriam reuocantur.

VI. Nyctalopes vt fuit Tyberius Cæſar, Caius Marius abſque Symmetria lucis viſionem exercebant, nec tamen hoc noſtram tollit aſſertionem.

VII. Quod ſi aliquis errores viſionis plurimos ac ferè infinitos aſſerat ideoq; minime ſcibiles, neque ad vnam cauſam reuocabiles, huic reſpondere facile vt in genere dari ſcientiam, ita in genere cauſam vnicam.

Sub felicibus auſpiciis Admodum Reuerendi ac Magnifici Domini, Domini
M. IACOBI TVROBOYSKI *S. Theol: Licentiati,*
Eccleſiarum Collegiatarum, SS. Omnium Præpoſiti, &
S. Floriani Decani, Vniuerſitatis Crac: vigilantiſſimi
RECTORIS.

